

*Corollaria.*

15. *esse representativum* sive objectivum nunquam est nobilius in idea, quàm in causa ideæ: sed *esse formale* ideæ nunc nobilius est causâ representativæ entitatis, ut si de figura mensæ cogitas, posito, quòd ipsa hæc figura oculis tuis objecta causa sit cogitationis tuæ; nunc ignobilius, ut si de Deo cogites.

16. Ipse etiam nihili conceptus aliquid est in mente nostra, quoniam distinguitur ab aliis conceptibus & exhibet absentiam *alicujus*, quod Aliquid extra mentem quidem non jungitur absenti sive Nihilo, sed tamen in mente cogitationi nihili negativæ jungitur positiva alicujus (hoc est, cogitatio de non-ente in mente nostra unquam est sine intuitu sive cogitatione entis concurrente) sic ut cogitatio in mente aliquid sit, cogitatum extra mentem quod *non* Alicui opponatur, nullum.

17. Hinc deligenter monent Metaphysici, *Ens rationis*, ut nihilum esse intelligatur, considerandum esse ut *quod* extra mentem, ut si concipias Cerberum tanquam in platea ambulantem. Nam conceptus